



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De luxuria. Cap. XXXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

mini dicitur: quia eo usus est quasi virga ad dandam disciplinam seruo suo Israël peccanti. Et sicut virga post correctionem filij in ignem proiicitur, sic & illi ultores Dei tandem punientur, maximè qui non recto zelo & iustitia proximos persequuntur. His quasi per excessum tactis, qualiter te inter aduersa & prospera immobilem conserues, ne prosperitates te extollant vel aduersa deiiciant (quia aduersitas maximè versatur circa carentiã vel amissionem cupiti, & timorẽ vel tolerãtiã exosi) ad remedia & qualitates vitiorum considerandas redeamus. Non mediocriter autem valet ad morbos vitiorum sanandos, scire æquanimiter carere his quæ caro vel carnalis affectus appetit, & patienter sustinere & non pertimescere quæ horret & odit: sicut in medicina corporali, sanitati propinquat qui bene seruat dietam, & cauet à nociuis, & constanter recipit & sustinet amarũ poculum confectionis. Gregorius: Qui appetit plenè vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare.] Scio & abundare & penuriã pati, & esurire & saturari, vbique & in omnibus instructus sum.

De luxuria.

CAP. XXXVIII.

LVXURIA quadruplex est. Prima in corde, quando homo immundas & lubricas cogitationes scienter & voluntariè, causa prauæ delectationis versat in cogitatione, sine repugnantia consensus. Peruersæ cogitationes separant à Deo. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœcharus est eam in corde suo. Secunda est cum citra opus generatiuum satiat se libidinosis gestibus, amplexando, osculando, palpando, impudicè respiciendo, loquendo & auscultando turpia, vt sola dele-

Hom. 15. in
Euan..

Philip. 4.
12.

Sap. 1. 3
Mat. 5. 8

delectatione prava, vel aliis meretriciis blanditiis carnali affectioni satisfaciat. Hæc tanto est grauior prima, quanto longius ad exteriores conatus causa pravae delectationis est progressa. Si enim sola mens prava rea est in se per consensum malæ concupiscentiæ: quanto magis habentis laxatis ad vltiora libidinis incitamenta, exteriorum sensuum & membrorum ministerio adiuta & prouocata? Si solum concupiscere corde, meretrix à Domino iudicatur: quid ergo ex concupiscentia osculari, palpare, &c. nemo ergo stultè se seducat, ut putet solum tunc se peccasse quando opus generatum perficit vel laborat perficere, cum etiam præambula operis damnabilia sint. In ipso enim licito coniugio sæpe excusabilior est simplex concubitus, quàm tales inhonestæ blanditiæ actuum indecentium, & spectaculorum, & colloquutionum lasciuarum. Si autem aliquis dicat apud se, ex quo non quæro opus prauum fornicando perficere, licitè possum morosis blanditiis frui cum dilecta, munda intèntione ad mutuæ & sanctæ dilectionis nutrimentum, ut ignis charitatis magis ac magis in nobis accendatur, cum ex dilectione proximi nutriatur & augeatur amor Dei: sciat quicumque talis est, se sub specie spiritualis amoris, carnali dilectione & delectatione deludi: quia spiritus spiritum diligit, nec corporalibus indiget amplexibus: quia hoc est carnalis amoris indicium, qui quanto plus crescit in corde, tanto magis spiritualis amor minuitur & refrigerat: & econuersò spiritualis amor carnalem reprimat & expellit. Triplicis autem peccati reus efficitur, qui talibus corporalibus blanditiis vti se licitè posse putat, etiam si nullam vlteriùs prauis operis habeat voluntatem. Primo quia incautè se nimis exposuit tentationis per-

GRAUITER
peccat, qui
inlecebris
actis operari
dati licere
putat.

periculo, cum prouisi sint sensus hominis & cogitatio in malum: & tentatio quæ nondum fuit occasione & oportunitate noxiæ familiaritatis accepta, potest corrumpere voluntatem, & in peccatum præcipitare. sicut sæpe accidit, quod qui munda intentione mutuis ingesserunt se familiaritatis societatibus, mutatis affectibus spiritualibus in carnales, lapsi sunt in peccatum. Tali ergo periculo se ingerere est contra Domini præceptum, Non tentabis Dominum Deum tuum: sicut qui super tenuem glaciem ex stulta curiositate incederet, si mergeretur reus esset in seipso, imò ipsum stultè tentare grauis culpa esset, etiam si mors non sequeretur. Secundò, quod & si in se nihil tentationis sentiret, tamen alteri daret occasionem tentationis & peccati, cum alteri fodit foueam ut incidat in eam. Qui alteri poculum mortis propinat, non ideo erit innocens quia ipse non bibit. Halitus eius, scilicet diaboli, prunas ardere facit. Igneus enim flatus ex igne gehennali cum duos carbones compositos inuenerit etiam semi uiuos, sufflat indefessè, donec eos incendat, nec curat moras si tandem aliquando perficiat, cum omni tempore ad nihil aliud vacet, nec aliis curis intendat, nisi animas seducere. Tertiò, efficitur reus propter malum exemplum, ex quo alij grauitè scandalizantur, non carentes praua suspitione de familiaritate tali noxiæ: & iudicantes esse malum, indignantur, murmurant, detrahunt, & irrident innocentes eorum collegas, quasi & illi similia faciant. Et vilipenditur religionis reuerentia ex talibus, & plurima mala fiunt. Alij verò eorum exemplo audaciùs similia faciunt, putantes sibi licere quod istos facere arbitrantur: & discunt ab eis vel audent exemplo eorum quod antè non audebant: imò & ipsi peccatores temerarij

Gen. 6, 5, 8, 21.

Deut. 6, 16

Iob 41, 13

merarij fiunt, & quasi iustificat se in peccato, comparatione istorum corruptentium religionis puritatem. Et hæc omnia redundant in iniuriam Dei & offensam, & in honoris eius detrimentum; cum insolentia familiæ, patrifamiliâs dedecus videatur. Tertia species luxuriæ est naturalis concubitus viri & feminae sine conjugij honestate. Hæc subdividitur in multas species, ut est simplex fornicatio, adulterium, sacrilegium, incæstus, stuprum, raptus, &c. quæ non prosequor nec distinguo.

Peccatum
contra naturam.

Rom. 1, 26

Quarta est peccatû innaturale. Cum enim natura omnibus rebus nomina propria dederit quæ naturæ subiacent, hoc peccatum quasi extra vel contra naturam sine speciali nomine reliquit: eo quòd indignum sit nomine quod ipsam naturam destruit, & humanam naturam maculat & infamat. dicitur tamẽ aliquando passio ignominia vel immunditia, vel mollicies. Licet Apostolus de isto peccato plurima & grauia describat primò ad Rom. tamen ad præsens nec nominari expedit, ne & ipse aër inficiatur, vel ne ex vsu tractandi minus horrendum vel abominabile fiat audientibus: vel ne detur simplicibus materia inde cogitandi, & curiosis occasio mali. Quocunque autem studio vigilans voluntariæ delectationis consensu se prouocat ad pollutionis immunditiã, vel etiam aliunde hoc pati consentit, vel cooperatur alteri præter naturæ vsu, ad quartam luxuriæ speciem debet pertinere. De illusionem somniorum prætermitto: quia sicut dormiens non est compos rationis, sic etiam non potest interim facere unde damnetur. Nam si vigilans fortè dedisset occasionem unde dormiens illuderetur, cogitando, agendo, loquendo, vel etiam post somnium voluntariè delectando in memoria illusionis nocturnæ, hoc potius esset culpa

culpa vigilantis quam dormientis: cum dormienti illusio sit poena tantum culpæ præcedentis, vel occasio subsequens in vigilante.

De remediis contra luxuriam.

CAP. XXXIX.

REMEDIA contra luxuriam sunt septem, quæ ad præsens memoriæ occurrunt, sine quibus continentia non diu esse potest tuta. Primum est, ut vir feminarum, & femina virorum continuam familiaritatem deuitet. A vestimento procedit rinea: & à mu- Eccli. 42, 13 liere iniquitas viri. Gregorius, Qui corpus Lib. 3. diabol. suum continentie dedicant, habitare cum fe- cap. 7. minis non præsumant.] Nam quam diu vitalis calor viuit in corpore, nemo præsumat ignem concupiscentiæ in se penitus extinctum esse. Et sæpe carbo videtur extinctus modica fauilla opertus: sed si tangitur, comburit. Diabolus verò cum duos carbones coadunauerit, afflat donec eos incendat. Halitus eius prunas ar- Iob. 41, 32 dere facit. Ignitus est enim igne gehennali. Carbo si solus relinquitur, extinguitur: si cõponitur alteri, ex mutuo calore incenduntur ambo. Et sæpe spiritu amor inceptus, cõsumatur carne. Bernardus: Cum femina sem- Serm. 63. sup. Cant. per esse, & feminam non cognoscere, hoc ego maius reputo quam mortuos suscitare. Qui ergo quod minus est non potes, quod maius est, quomodo credam tibi?] Astutus etiam diabolus, in principio incautæ familiaritatis occultat laqueos tentationis carnalis, reputas quod desisterent à mutua dilectione, si sentirent inde stimulos peccati, donec per longam familiaritatem & incautam securitatem affectus amborum ita conflati & conglutinati fuerint in amore, quod etiã si sentiant ubi, inde immi-
nere